

occurrit, veterem Anchisen adgnovit amicum.  
iungimus hospitio dextras et tecta subimus.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto:  
'da propriam Thymbraee domum; da moenia fessis 85  
et genus et mansuram urbem; serva altera Troiae  
Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli.  
quem sequimur,<sup>1</sup> quove ire iubes, ubi ponere sedes?  
da pater augurium, atque animis inlabere nostris.'  
vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente, 90  
liminaque laurusque dei, totusque moveri  
mons circum et mugire adytis reclusis.  
summissi petimus terram, et vox fertur ad auris:  
'Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum  
prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto 95  
accipiet reduces. antiquam exquirite matrem.  
hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris  
et nati' natorum et qui nascentur ab illis.'  
haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu  
laetitia, et cuncti quae sint ea moenia quaerunt, 100  
quo Phoebus vocet errantis iubeatque reverti.  
tum genitor, veterum volvens monumenta virorum:  
'audite, o proceres' ait 'et spes discite vestras.  
Creta Iovis magni medio iacet insula ponto,  
mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae. 105  
œntum urbes habitant magnas, uberrima regna;  
maximus unde pater, si rite audita recordor,  
Teucus Rhoeteas primum est advectus in oras  
optavitque locum regno. nondum Ilium et arcœ  
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis. 110  
hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera  
Ideaumque nemus, hinc fida silentia sacris,  
et iuncti currum dominae subiere leones.  
ergo agite, et divom ducunt qua iussa, sequamur,  
placemus ventos et Gnosia regna petamus. 115  
nec longo distant cursu: modo Iuppiter adsit,  
tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.'  
sic fatus meritos aris mactavit honores,